

ARCHIVIO GENERALIZIO - Sezione Storica

Chierici Regolari Somaschi

n. PGB 1245

De arte poetica in nostra aetate pholoxias.

in: NEVUM, nov.-dec. 1951, pp. 504-511.

AEVUM

RASSEGNA DI SCIENZE STORICHE
LINGUISTICHE E FILOLOGICHE

PUBBLICATA PER CURA DELLA FACOLTÀ DI LETTERE
DELL' UNIVERSITÀ CATTOLICA DEL SACRO CUORE

IOANNIS BAPTISTAE PIGATI, C. R. S.

DE ARTE POETICA
IN NOSTRAE AETATIS PHILOSOPHOS



ANNO XXV — FASCICOLO 6 — ESTRATTO — NOVEMBRE — DICEMBRE 1951
DIREZIONE E AMMINISTRAZIONE: PIAZZA S. AMBROGIO, 9 - MILANO

IOANNIS BAPTISTAE PIGATI, C. R. S.

DE ARTE POETICA
IN NOSTRAE AETATIS PHILOSOPHOS

CARMEN PRAEMIO DONATUM IN CERTAMINE POETICO AB ATHENAEO BONONIENSI
OMNIBUS GENTIBUS PROPOSITO AN. MCML. (*)

Igneus est ollis vigor et caelestis origo,
(VERG. Aen. VI, 730)

- « Simplex munditiis placet aurea Pyrha sub antro.
« At mihi latus amor Glyceraeque nitentis ocellus.
« Me vero... » Sed commixto sermone locuntur
iam iuvenes, dum quisque suum praemittit amorem.
- 5 Ante suam in patriam selectae ad munera vitae
quam redeant, studiis tandem feliciter actis,
indulgent coetu dapibus paterisque supremo
et laeti salibus conspersa in dicta feruntur:
qui nasum renuens crispet, de flumine potet.
- 10 Gollardi sic iussa boni statuere malignis.
Intererat iuvenis, proles montana coloni,
quem stellae a puero valde oblectare solebant.
Bacchari placet ac reliquos dissolvere risu,
nec tamen, ut reliquis, Momo reptare procaci.
- 15 Si cuius versus opus est nexisse poetae,

(*) Siamo lieti di pubblicare il seguente carme del Padre G. B. Pigato, laureatosi nel 1944 presso la nostra Università ed ora insegnante di lettere classiche e di filosofia nel Collegio "Gallio", dei Padri Somàschi di Como: da una Commissione di cinqué professori della Università di Bologna, presso la quale il Certamen internazionale di poesia latina era stato istituito e intitolato al nome di "Alessandro Mingarelli", donatore del legato, e bandito con decreto del Ministro della P. I., il Carmen fu giudicato "degno di lode e di premio", per l'anno 1950. [N. d. R.].

- continuo profert iactu lepidissimus ille
vel praeeunte suos Musa componit et addit,
praecipitesque omnes effrena in scommata ducit.
« Intentas aures mihi, ait, convertite, quidni ?
- 20 Arcanam haud referam naaso auxiliaante matheesim. »
Conversi socii comitem risere silentem
doliolo similem inverso, quacumque rotundum,
cannula cui nasus, litui facile aemulus unci
et forma et sonitu vocem ingeminante recurvam.
- 25 Is licet a pedibus dignoscere vix caput imis
sciret, quave manu cochlear sufferret honeste,
stillabat numeris totus, quodcumque rogasses,
praesertim scaberet digitis si tempora longis.
Risit et ille, alium in speculo arbitratus homullum
- 30 atque suo nova flammescunt incendia risu.
Noster sed tremulo nunc ore in carmina pergit:
« Non salicem, laxis flendo quae pendula ramis
tam multas fato abreptas soletur amicas,
heu misero nondum natas iam funere mersas !
- 35 Sit merito vates alius vespillo puellis. »
Hic ululare sophos illi, quos nempe pigebat
theutonicis lacrimis solem humectare latinum
te turpi macie et male compto, Henrice, capillo,
condebas sub humum sponsas qui carmen ad omne.
- 40 Instat sed iuvenis iucundum excire tumultum :
« Nec nova cur nullis pictura timenda figuris
submoveat stomachos oleo tam dira videntum ;
unde sagax cordi praecordia suffice, iudex ! ». .
At nunc ventriculos manibus compescere pressis
- 45 convivae inflexi, reboant dum tecta cachinnis.
Adcurrit caupo; raucam sed mutat avenam
in citharam Satyrus, et fit praesagus Apollo :
« Ergo aenigma meum stantes pede solvite in uno !
Vincenti dabitur vini vitrea amphora clari :
- 50 Est iuvenis, sed eum turpat iam invisa senecta,
cana senecta tamen numquam violabit amicum. »
Conticuere statim cyathos complere Lyaeo
censemtes facili, lentique abstrusa retemptant.
Tum calvum in socium protenso ille indice clamat:

- 55 « Nonne iuvenco aret vertex de more senili ?
 Nec calvo canum fieri sperare licebit. »
 « Euhoe Bacche ! » simul manibus plaudentibus omnes
 laudant atque aliud poscunt epigramma volentes :
 « Non iterum poteris nos illaqueare paratos ;
 60 praemia dupla tibi, si Sphinx invicta resistes. »
 Ferventi trepidans iuvenis nunc pectore fatur :
 « Astra micant ! Is nulla tamen videt astra micare ;
 cur ? in corde suo sidus lucentius ardet. »
 Incipiens calvus madidus prurigine frontem :
 65 « Hic vigil atque oculis sane deliqat apertis,
 aut omnes etiam deludit turpiter, ohe ! »
 et procul adsensum gestu captabat inani
 vindictam iactans, stipulae breve fulgur adustae,
 milvus voce rapax, reliqua absque ullo ungue columbus.
- 70 Ast Sophiae quidam primis sectator ab annis
 obliquum vitreo disco exornatus ocellum,
 nec ridere sciens, sella depugis in ampla,
 obloquitur : « Logicis opus est pugnare sagittis !
 In rimam refugit tortum reputans Labyrinthum
 75 sorex oblitus pendentem abducere caudam.
 Arripe eam manibus : ridendus iam ille sequetur.
 Obsistat ; rigida derepet forcipe prensus. »
 Hic silet obtutum dextra laevaque revolvens
 agmen in oppositum nutu iaculante fugatum.
- 80 Sed mutuire aliqui crepitantem saepe procellam
 perpessi et quassare choro de gutture tussim,
 exterere et soleis innoxia marmora subter
 obnixi in beluam frustra. Nam viribus auctis
 digladians equitat nebulis sophus et simul hinnit :
 85 « Nunc ergo statuo nihil hoc aenigmate dici !
 In rationem etenim pictor vatesque dearrant,
 non equidem quasi consulto mala gramina carpant
 aut effeta colant fluii arentibus arva.
 Sunt hoc qui faciant stulti, qui nempe laborant
- 90 adversis fatis lapidosa adaquare Stagira,
 noctivagi talpae, cancri retro gradientes.
 Spiritus ille unus, quem extra res nulla moratur,

- spiritus ille, inquam, vates ad carmina adurget
invitos fingitque premens quodcumque referre.
- 95 Nonne vides hunc oceano miscere lacunas,
teque mari, dulcis Benace, adspergere salso,
occisos iterum gladiis immittere et hosti
illum, conficere et membris portenta refictis,
atque cavo quosdam vivos descendere Averno
100 et regredi, impeditat quamquam irremeabilis error ?
Quid qui perpetuo cantu spatiatur in astris
incolumis, si credideris, tam ardente camino ?
Mirum si violas medio haud olfecerit igne,
nec scatebras hausisse crepet stellantibus undis !
- 105 Atqui illic nec saxa manent, chalibisque metalli
aestuat in tenuem durissima massa vaporem.
Quid quod nescioli suetis in rebus habentur ?
Nasci, non fieri recinunt proverbia vatem,
scilicet ut gignit pueros aliena voluntas.
- 110 Ante oleis hederae laurusque superbiet uvis,
quam verum exigua consurgat ab arte poetae,
quod vere valeat, mentis decus utile doctae.
Neu Dantem excutias querulus quid scripserit olim.
Quidquid enim Sophiam redolet, tu distrahe Musis
- 115 aetatisque suae facito monimenta vetustae,
arida primaevi veluti ossa et rudera mundi ;
quod sapiat vatem, Sophia disiunge vicissim,
ac sola invenies simulacra carentia mente,
viva quidem, ut speculum sole affulgente favillans
- 120 multiplici exsurgit vivax ab imagine rerum.
Sed credant oculi, plebes ut rustica mimo,
stuppa cum pastus frigentes evomit ignes.
Sicut enim radii succedunt orbe rotante,
ingenio haud aliter veniet revoluta agitato
- 125 post vacuum carmen veri Sapientia plena.
Et pueris illos similes avibusque memento,
qui quid agant vel cur doleant hilaresve iocentur,
ignorant, neque se possunt cohibere canentes
ni prius hanc aurae detur displodere bullam.
- 130 Nunc igitur de re . . . » Sed plura ferire minantem :
« iam satis ! » ingenti reliqui rumore retundunt.

Tum quidam: « Cynicus purus, nisi cauda deesset! »
 Exsiliens risus, sordes ceu rivus inundans,
 omnibus ex animis aeterna ea taedia pellit;
 135 laetitiaque patet rursus nunc porta priori.

Desierat cantus geminis extollere chordis
 res Italas et pinnigero sub Marte triumphos,
 cum subito iuvenis stellae fulgentis amator:
 « Nolo, inquit, rabulas intrare in templa profanos,
 140 proluvieque iterum sanctas corrumpere mensas
 palliolo Harpyias tectas obscena recenti.
 Tune quid ars, quis sit vates, monstrare putasti
 tam compilatis, cornicula garrula, verbis?
 Non semel, ut video, citharam temptavit asellus
 145 aut sus intactam lutulenta docere Minervam!
 Certe equidem abripitur rapidis in carmina ventis
 ac rate velivola pelagus trasmittitur omne
 erigiturque alis vates contingere Olympum
 atque canens ut alauda polo confunditur alto.
 150 Vergilius; Dantes; superisque enectus Homerus
 experti unanimo confirmant ore poetae,
 qui fortunati Musas habuere faventes.
 Ast adyta et sacras volumus si accedere ad aras
 praesentemque Deum propius spectare beati,
 155 nonne animus nobis, vitae propago supernae
 divinamque sua referens ab origine formam,
 inseritur, fruticans oleastris germen olivi?
 Expers materiae socio sic corpore vivit,
 ut potius sub mole gravi tardetur anhelans.
 160 Ingemit ille exsul patriamque requirit ubique;
 aut eius saltem in sparsis imitamina rebus;
 Chaoniamque struit Troiam, si vera negatur.
 Adsimulans igitur torno currente fatigat
 res omnes animus, rasas lima expolit ungue,
 165 excantat precibus, speciemque excudit opertam
 quam intuitu vidit aquilas superante superbas.
 Intuitu, dico, nostrae seu culmine mentis.
 Qui possunt isti per acumina tanta levari
 plumbatis pedibus, nuda ratione rigentes,

DE ARTE POETICA IN NOSTRAE AETATIS PHILOSOPHOS

- 170 mortua pro vivis, sudato effossa labore,
proque dea Boream amplexi fumosque Vesovi ?
Cur autem carmen nullo ipsi carmine facta
edoceant, flammisque animi motuque repressis,
scire cupis ? Nolunt tempus consumere nugis,
175 ne qua novis desit dirimendis lititus hora,
scilicet ut sapiens et odoro adsueta Falerno
acribus indignans abiit vulpecula ab uvis.
Intuitu at vates dulcique cupidine tractus
exutis aperit tandem mirabile squamis
180 Nuntinis archetypon, detectum faece monile.
Nec mora, victricis formae fit rite sacerdos,
victima et ipse : Deus propria ita luce renidet !
O lux, o cui compositus caligat opacus
vel Titan, densisque tacet polus omnis in umbris !
185 Vates hinc iubare adsuetus convivere celso,
immensis velut oceanum super albatrus alis,
terram si tetigit, pedibus vix nutat ineptis
rideturque ululis dominator luminis atris.
Interea invigilat pulchrum illud vincere dictis
190 et vivis perhibet transfuso sanguine vivum,
mi Deus, ex arente trahens frondentia ligno !
Quaeque nihil vulgo virgo est nisi taetra libido
in Venerem et caelo radians in sidus amico
nobilitatur et in Cererem silva hispida aristae.
195 Nunc animo demum gestit, puppique coronam
imponit portum Musa subeunte canorum.
Nec tamen optata vates statione quiescit,
alterius quamvis mundi dominus, pater et rex,
ni mortale suis opibus genus omne iuvetur.
200 Namque amor ex vera verus dulcedine cretus
in vitas gaudet sese diffundere multas.
Nec Deus ipse alio motus generavit amore.
Orpheus Eurydicen vivam sic ducit in auras,
lilia Marcello non nato candida dantur,
205 et quaeret lucem moriens in saecula Dido.
Vergilius sed habet divini gaudia facti,
et nos transferimus non nostrae in viscera vitae.
Ecquid enim censes ? Orpheus fuit ipse poeta,

- ipse poeta adiit Stygios interitus amnes
 210 mente sua et vere tetigit loca caeca tenebris
 et vere extinxuit resonante habitata ululatu.
 quis non deficeret? Lyra sed nutricula cordis
 extemplo tenebris Auroram accendit abactis,
 restituit terrae flores mortemque fugavit.
- Tum vates cantu et viva de coniuge laetus,
 immemor ipse sui, sensit trepidare sub uno
 pectore corda duo, fatis rapientibus illam.
 Et: «Quis me miseram!» fletu ploravit oborto
 femineum cor dereptum sociumque vocavit
- 220 atque hoc Eurydicens anima fugiente vicissim.
 Sic flevit, cilioque tremit nunc lacrima nostro.
 Dilectae vitam patriae sic immolat Hector
 aeternumque manet vivax exemplar amoris,
 dum nobis animus spectantibus anxius horret
- 225 auditio Andromaches rupto miserae singultu.
 Anglo sic spirat pia adhuc Cordelia vate.
 Atque sonis alios deus ille tonantibus excit
 Beethovius mundos, sceptroque gubernat et arte
 et tibi te eripiens attollit vortice in illos.
- Fraxineae strepitu frondes sic verba susurrant,
 nec minus unda maris refluens tremulique nitores,
 si Sappho, non Diogenes, exporrigat aurem.
 Parvula apis, miras nec tu tua mella per artes
 exprimeres, nisi quis tibi mentem et regna dedisset.
- 235 Sic unam efficiunt gentem res quaeque creatae,
 praeteritiae, exstantes et in ultima fata remotae,
 concordi et sermone vigent et amore poetae.
 Iste Deo similis vocitur iure creator.»
 Dum loquitur, vultus commoto corde colorem
 240 concipit et sensim rutilo succenditur igne.
 Non plausere statim comites, tacitiq[ue] stupescunt
 detracto spectare nitens velamine verum,
 non secus ac nebulis atque exhalante palude
 si sol iam obstrictus, vinctus nunc imperet altus.
- Cumque animos suavis lux compenetrata teneret:
 245 «Dic agendum, sodes, nobisque aenigma resolve»,
 comiter exquirit subridens unus et alter.

DE ARTE POETICA IN NOSTRAE AETATIS PHILOSOPHOS

- Attentis vates respondet : « Pallida lucent
astra polo, sed in hoc pulcherrima pectore stella,
ex quo illam puer in caelo splendescere vidi.
Hac mihi visa Dei primum fulgente venustas,
hanc ut laudarem, citharam septennis amavi.
Quam si conspiciam ! Liceat cantare, sodales. »
Ille canit, socii ambrosia stillante beantur
255 et fluctu ablatus sophus involvente strigosam
proicit en sophiam Boreae, vitaeque resurgit.
Stella sed ardenti deducta ex aethere cantu,
conclavi in medio micuit sublimis, ut ille :
« Virgineo te, si quid amo, fervore sitivi,
260 et nunc perpetuo devotus sim tibi voto »
ob desiderium peracuta voce profudit.

